

rentur: *Patientia enim opus perfectum habet*, ait S. Jacobus, c. 1. Unde S. Ignatius, cum ad bestias duceretur, dicebat: *Nunc incipio fieri Christi discipulus*. Patientia itaque supremæ laureæ examen est. Nemo sibi persuadeat se perfectum Christi imitorem esse, priusquam hac laurea coronatus fuerit. Patientia est lapis Lydius, quo probantur omnes aliæ virtutes: unde Rom. V. dicitur: *Patientia probationem operatur*: inde virtutes Job in hoc lapide probare voluit dæmon: *Extende, inquit, paulum manum tuam, et tange cuncta quæ possidet: nisi in faciem tuam benedixerit tibi*, Job. I. Quare si advertis te nondum exerceri in patientia, scias te adhuc longe abesse a perfectione.

Quarto, ne scandalizarentur aliquando toto mundo insurgente contra eos, et propter nomen Christi iniquissime eos tractante. Nisi enim hac de re præmoniti fuissent, facile deijci poterant, cum videbunt mundum totum sibi et Christo adversum, seque nihil aliud, quam Uriæ litteras ferre. Cogitare enim poterant: Itane magister nos decepit? Vel defendere non potest, etc? Idcirco etiam eis dixit alibi: *Eecce ego mitto vos in medio luporum*, id est, ad macellum et lanienam.

V. Fueruntne Christi doctrina et miracula talia, ut Judæi credere tenerentur eum esse Messiam; siquidem ait Dominus, eos excusationem non habere?

Respondetur, Christi doctrinam sejunctam quidem a miraculis non videri sufficientem fuisse ad hoc. Nam in hodierno evangelio, Christus suæ doctrinæ miracula adjungit. Ratio est, quia prædicans populo non aperte dicebat se Messiam, ne Romanos offenderet, et in se concitaret ante tempus. Miracula tamen ejus omnino talia fuerunt, ut credere deberent Judæi ipsum esse Christum. Etenim a Christi miraculis magis superabantur aliorum sanctorum miracula, quam vincantur a sole stellæ. Idque quadruplici modo.

Primo, multitudine. Nam omnes male habentes curavit, ut ait Matth. c. VIII. Marcus, c. VI. ait: *Quotquot tangebant eum, salvi fiebant*: Lucas, c. VI. *Virtus de illo exibat, et sanabat omnes*: Johannes, c. ult. *Sunt autem et alia multa, quæ si scribantur per singula, ne ipsum arbitror, mundum capere posse*: hinc ipsimet Judæi dicebant: *Christus cum venerit, nunquam plura signa faciet quam quæ hic fecit*, Joan. VII.

Secundo, magnitudine. Nam quatruiduanum mortuum suscitavit: et cæcum natum illuminavit, quod a sæculo non fuisse auditum Judæi testabantur. Deinde, a mortuis resurrexit, et ad cælum ascendit. Ad hæc ipse Dominus ait in hodierno

evangelio: *Si opera non fecissem quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*. Nec refert quod alibi dicat: *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet*, Joan. XIV. Nam ea omnia fecerunt sancti per Christum, nec tam ipsi, quam Christus in eis, ut ipsi confessi sunt, Actor. V. IX. etc.

Tertio modo, non enim diu multumque laborando, sicut Elias et Elisæus: nec orando et obsecrando, ut fere omnes sancti faciebant; sed repente, imperando ac propria auctoritate miracula omnia faciebat: veluti cum dixit: *Volo, mundare*: cum præcepit dæmoni; quem discipuli ejicere non poterant, dicens: *Ego præcipio tibi, exi ab eo, et amplius ne introeas in eum*, exivit enim continuo, Marc. IX. item cum mortuos suscitavit, dicens: *Puella surge. Adolescens, tibi dico: Surge. Lazare veni foras, etc.*

Quarto, varietate. Ut enim ostenderet se omnium creaturarum Dominum et factorem, in omni rerum genere prodigia aliqua edidit: in cælo et sole, cum in obitu suo eclipsin miram et horrendam effecit: in elemento ignis, cum inde stellam evocavit, quæ magos ab oriente duceret in Palæstinam: in aere, cum ventis imperavit: in aquis, cum semper eas siccis pedibus ambulavit: in terra cum eam tremere fecit moriens: in mixtis inanimatis, cum petras scidit, et panes multiplicavit: inanimatis seu arboribus, cum ficum subito arefecit: in brutis animalibus, cum piscium multitudinem concludere apostolos fecit, et cum Petro piscem obtulit capiendum, habentem in ore staterem: in hominibus innumera, cum tot cæcis visum, tot surdis auditum, tot claudis gressum, tot ægris sanitatem, et mortuis vitam restituit: in spiritibus, cum malignos ejecit ex obsessis hominibus, cum in mare præcipitavit; quæ omnia a Messia faciendæ esse prædixit Isaias, cap. XXXV. ut merito Christus dicere potuerit: *Si mihi non creditis, operibus credite*, Joan. X. Ubi præterea illud innuit, se ea miracula fecisse ad confirmationem suæ divinitatis. Fieri autem nequit ut Deus, cujus solius virtute fieri miracula proprie dicta possunt, testis salutaris sit. Unde licet etiam mali homines prophetare et ejicere dæmonia queant, juxta Matth. VII. non tamen ad confirmationem rei falsæ; Christus autem omnia sua miracula ad hoc faciebat, ut Messiam se esse comprobaret.

VI. Si verum est, quod ait hic Dominus de Judæis: *Nunc autem excusationem non habent*: item, *Nunc autem et viderunt et oderunt me, etc.* qua ratione excusat eos in cruce: *Pater dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt*? Respondetur verbum Christi in cruce intelligi primo posse de cru-

cifixoribus, quos probabile est ignorasse Christum: secundo, de nobis, vel aliis peccatoribus absentibus, qui nesciebant, quid Hierosolymis Christo accideret: tertio, si etiam de Judæis capitur verbum, dicendum est, Christum voluisse peccatum Judæorum extenuare, quantumcumque potuit; tametsi enim sciebat ignorantiam eorum esse voluntariam et affectatam, adeoque inexcusabilem, voluit tamen eam pro viribus extenuare, tamquam minus adhuc culpabilem, quam si

omnino scienter et volenter ex mera malitia peccasset: ut ita ostenderet, quam libenter arripisset argumentum aliquod quod Judæos excusaret, quod suppetiisset.

Quæ cum ita sint, nos Christiani merito timere debemus, ne aliquando minus, quam Judæi simus excusabiles. Nondum viderant illi Christum resurrexisse a mortuis, ascendisse ad cælum, evangelium dilatatum per universum orbem, nos videmus, etc.

AUCTARIUM.

CONCIO I.

QUANDO JUDÆ, SEU CONFESSORES, ESSE DEBEAMUS.

I. Quando fides profitenda. — II. Quando veritati testimonium perhibendum. — III. Quando confessio peccatorum faciendæ. — IV. Quando quis convictus de peccato arguitur. — V. Quando innocentes pro nobis affliguntur. — VI. Quando a Deo punimur ob peccata nostra.

THEMA.

Hæc omnia facient vobis propter nomen meum.
Joan. XV.

Scimus, auditores multa, passos esse apostolos propter nomen Christi; neque hoc miramur. Id vero mirandum est, quod unus apostolus pati debeat propter nomen alterius. Quomodo dicetis? Nonne Judas Thaddæus sanctus Christi apostolus est? Hic tamen pati debet propter Judam proditorem; quia Christiani, cum aliorum apostolorum nomina assumant et venerentur, solum nomen Judæ vitant. Nec enim facile reperitur aliquis, qui hoc vocetur nomine, odio proditoris Christi. Non nisi unus ejus nominis commemoratur. Christianus, Act. XV. et alius quidam scriptor ecclesiasticus, apud S. Hieron. l. de script. eccl. et tamen nomen Judæ honorificum et speciosum est; significat enim confessorem, seu confessionem, ut patet, Gen. XXIX. ubi Lia cum peperisset ultimum filium, dixit: *Modo confitebor Domino*, et ob hoc vocabit eum *Judam*. Tales vero Christus Dominus magnopere desiderat, Christianos, inquam, confitentes, odit vero negantes. Ita enim loquitur, Matth. X. *Omnia, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in cælis est; qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo*. Ergo si non nomine, propter odium scilicet pro-

ditoris, volumus esse Judæ, simus saltem re, propter Judam Thaddæum, qui gloriosam Christi confessionem et suo calamo scripsit, et sanguine subscripsit. Sed qua in re et quando potissimum tales esse nos oportet? Audiamus.

I. Quando fides profitenda est. Ita enim testatur apostolus ad Hebr. X. *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Dicit enim Scriptura: Omnis qui credit in illum, non confundetur*. Isaiæ videlicet XXVIII. ubi paulo aliter ex Septuaginta dicitur: *Qui crediderit, non festinet*, hoc est, non trepidet, sed instar leonis, etiam coram canibus, tarde et graviter incedat, fidem profitendo. Accedit Christi sententia jam dicta. Et jure, si enim turpe est militibus negare fidem duci datam, cur non etiam et magis, negare fidem Deo datam? Atqui, cum Dei aut proximi salus id exigit, non confitetur; hoc ipso jam ad defectionem inclinare videtur. Hinc nec lingua sola Christum negare, nec tacendo dissimulare fidem voluere martyres. S. Gordius miles, productus in theatrum, instar leonis, ut scribit S. Basilius, intrepido prodiit animo: monitus ut ore tantum negaret, non corde, respondit: «Ego sane ne lingua quidem meum nunquam negabo auctorem. Corde namque credimus ad justitiam, ore autem confitemur ad salutem. Nolite errare, Deus nequaquam irrideri potest. Ex ore nostro nos judicat. Nonne tremendam Christi sententiam audistis: Qui me negabit coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo? Mihi consulitis, ut Deum nosse dissimilem etc.» apud S. Basil. orat. paneg. Sur. 3. jan. S. Mamas juvenis, ab Aureliano imp. flagris cædi jussus, audiit: *Si vel solis labris te sacrificaturum dixeris, continuo ab omni supplicio liberaberis*. Cui ille: *Nec labris nec corde verum Deum et Regem Christum unquam negabo*, Metaphr. apud Sur. 17. aug.

Et quid mirum hoc facere Christianos propter Christum, si hoc fecit sub antiqua lege Eleazarus ille Judæus; qui contra leges Dei patrias jussus ab Antiochi præfecto carnes porcinas edere, cum adstantes aliqui amici alias ei carnes, quibus vesci liceret, obtrudere vellent, respuit; nolens etiam simulare vitam comestionem, in contemptum legis suæ, II. Macch. VI?

Ratio est, quia qui negat fidem suam, hoc ipso improbat eam, adeoque ipsum Christum, cui adherere erubescit, quasi id nefarium sit. De malo enim erubescimus, non de bono. S. Justinus martyr, in apologia prima pro Christianis, ait: « Qui se esse negat, is aut rem quam improbat negat, aut certe re indignum se et ab ea alienum sciens, vitat confessionem: quorum neutrum in verum Christianum cadit. »

II. Quando veritati testimonium perhibendum exigit Dei honor vel proximi salus. Ita præcipit Ecclesiasticus, cap. IV. *Pro anima tua ne confundaris dicere verum*, hoc est, ut animam tuam a peccato illasam serves, vel pro anima, hoc est, vita tua: ita ut malis vitam perdere, quam veritatem suppressere. Veritas enim deprimi aut abscondi renuit: olei instar semper enatare cupit. Hinc lamentatur Isaias, c. VI. *Væ mihi quia tacui; quia vir pollutus labiis ego sum*. Sed cur? Quia non audacter Oxiam impium regem corripuit, inquit Sanctus Hieronymus in eum locum, ut videlicet diceret: Non licet tibi adolere incensum aut sacrificare, cum non sis sacerdos. Qui tamen postea calculo ignito purgatus et confortatus, impium Manassem audacter reprehendit usque ad dirissimos cruciatus, quibus medius sectus est. « Fertur ei in carcere posito (ait S. Ambrosius, lit. XII. in Psalm. CXVIII.) diabolus dixisse: Dic quia non a Domino locutus es quæ dixisti, et omnium in te mentes affectusque mutabo, ut qui indignantur injuriam, absolutionem conferant. Sed ille gratus judicavit pro veritate supplicium, quam pro adulatione beneficium. » Talis et Daniel fuit, quando, ducta ad necem innocente Susanna, exclamavit: *Innocens ego sum a sanguine hujus*: moxque increpans populum, *Sic fatui filii Israel*, inquit, *non judicantes, neque quod verum est cognoscentes, condemnastis filiam Israel?* Dan. XIII. talis Joannes Baptista, qui Herodi inculcabat: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui*: talis in novo testamento mulier illa de turba, dum alii Christum appellabant Beelzebub ejusque mancipium, extollens vocem dixit: *Beatus venter, qui te portavit*, Luc. XI. talis etiam in cruce latro, qui Christi innocentiam contra iniquos iudices et principes Judæorum, blasphemias in ipsum evomentes, tutatus ac professus est,

onsine majoris tormenti sui periculo. Poemen eremita sanctus dixit se a feris devorandum, quod peregrinum a canibus lacerari videns, non defendisset; quod etiam ipsi contigit, in prato spirituali, cap. CLXVII. Viderit is, qui innocentes videt laniari a canibus malevolis, nec defendit testimonio, quid ipse mereatur.

III. Quando confessio peccatorum sacramentalis faciendæ est. De quo Ecclesiasticus, cit. IV. cap. subdit: *Non confundaris confiteri peccata tua; est enim (ut paulo ante, § XXV. dixerat,) confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gloriam et gratiam*: qualia revera est confusio in confessione, gratiam et gloriam adducens. Quid enim magis tibi foret gloriosum, a dæmone te constrictum viuculis peccatorum tuorum circumduci, an dæmonem a te? Nonne hoc posterius? Cogitavit Bajazetes Turcarum imper. Tartarorum regem Tamerlanem caveæ ferræ includere, et secum undique circumducere, uti ipsi victus postea confessus fuit: sed hoc ipsum ei supplicium irrogatum postea a Tamerlane est. Dæmon peccatorum ante confessionem, catenis peccatorum ejus ligatum, undique circumducit. At ubi is confiteri incipit, tum iisdem vinculis suis dæmonem vincere et circumducere incipit. Utrum ei gloriosius? Audi Sanctum Gregorium Nazianz. orat. in s. baptisma: « Ne peccatum tuum confiteri gravearis, sciens quo pacto Joannes baptizaverit, ut per hujus vitæ pudorem futuri sæculi pudorem ignominiamque fugias (nam hæc quoque sempiterni supplicii pars est), ac perspicuum facias te serio, atque ex animo peccatum odisse, dum illud tamquam contumeliis dignum traducis, ac velut ludibrio exponis, de eoque triumphum agis. » Per confessionem educis dæmoni gladium, quo contra te accinctus venit, eique caput amputas, alter David giganteo illi Goliath. Quam id gloriosum Davidi fuit, tam tibi est hoc honorificum. Hujus rei exemplum refert B. Joan. Climacus, gradu IV. de latrone quodam famoso, qui receptus in cœnobium, horiatu abbat, in præsentia ducentorum triginta monachorum omnia sua peccata, eaque gravissima, publice in templo die dominico confessus est, ut per hanc confusionem mereatur evadere æternam, et pleniorum obtineret indulgentiam. Visus autem tunc a fratre quodam est homo negerrimus illi adstare, et quoties latro peccatum aliquod confitebatur, id e sua tabula delere.

IV. Quando extra confessionem de peccato quis vincitur et arguitur; tunc enim melius infamiam non absterget, quam reum se confitendo. Quæmadmodum enim naturalium defectuum pudorem facilius opprimimus, si eos libere confiteamur

mur aut prodamus, quam si negare aut fuco tegere conemur; ita et moralium quoque. Agesilaus rex, suam clauditem per locum ridendo, vitium non mediocriter emendabat, tantoque magis, quo nulli parceret labori, claudus licet, Plut. in Agesilao. Sic etiam qui ingenue suam fatetur culpam, cum juste reprehenditur, magna ex parte eam delet coram Deo et hominibus, Exemplum habemus in Juda, filio Jacobi, qui de stupro convictus a nuru sua, ingenue confessus est, eamque se justiore pronuntiavit, Genes. XXXVIII. Hinc Jacob moriens ei benedixit his verbis: *Juda, te laudabunt fratres tui*. Causam explicat paraphrastes Chald. sic exponens: *Juda, tu confessus es et non erubuit, in te confitebuntur fratres tui*. Quod factum est, quando reum se confessus, vere Judas seu confitens fuit: te igitur ob hoc, inquit: *Laudabunt fratres tui*, Gen. LXIX. Denuntiatus divino oraculo fuit de furto Achan, Jos. VII. cui proinde Josue: *Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, et confitere atque indica mihi quid fecerit, ne abscondas mihi*. Responditque Achan Josue, et dixit ei: *Vere ego peccavi Domino Deo Israel, et sic et sic feci*. Profuit hæc confessio reo, quamvis extorta: quia hinc sentiunt doctores condonatum ei penam saltem æternam, velut penitentia: deinde mitigata est pœna temporalis; cum enim Dei mandato comburi deberet, prius lapidatus est. Unde etiam colligimus eos, qui culpam suam fatentur, dare gloriam Deo, quia sanctum et justum eum fatentur, contra quem peccarunt. David, quando a Nathan redargutus est de peccato suo, culpam mox confessus: *Peccavi, inquit, Domino*. Unde illico audivit: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum* (hoc est, supplicium mortis, quod tibi comminatus fuit); *non morieris*. Quid vult vocula *quoque*? Quis alius præter Deum transtulit peccatum Davidis? Ipse nimirum David per humilem et contritam confessionem transtulit ab eo pœnam. Contra vero Saul radargutus a Samuele, quod non obedisset mandato Dei, cum negaret culpam, dicens: *Imo audivi vocem Domini* (I. Reg. LXV.) reprobatus est a Deo.

V. Quando alii innocentes propter nos, vel loco nostri affliguntur. Tunc enim eorum innocentiam tuæ nostræ confessione tenemus. Sic egit David II. Regum ultimo, quando videns cædi peste subditos, ob peccatum numerati a se populi, dixit ad Dominum: *Ego sum qui peccavi, ego inique egi: isti, qui oves sunt, quid fecerunt? Vertatur obsecro manus tua contra me*. Et in quid hac confessione effecerit. Statim enim misit ei Deus prophetam Gad, monens quomodo dirum illud supplicium a se et populo suo posset amoliri, et Dei gratiam cursus inire: scilicet ædificando altare et offe-

rendo sacrificium: quo facto, mox cessavit plaga. Idem fecit Jonas, quando vidit propter suam culpam fuisse ortam tempestatem et periclitari alios: *Tollite me et mittite in mare, et cessabit mare a vobis: scio enim ego quoniam propter me tempestas hæc grandis venit super vos*, Jon. I. unde obtinuit, ut vivus servaretur in ceto. His non absimilis fuit Sanctus Sozon pastor ovium, qui cum Pompeioli videret sub Maximiano gentilium idola coli et Christianos opprimi, zelo fidei incensus, fanum intravit, ac statuæ cujusdam idoli aureæ dextram amputavit, eoque auro pauperes Christianos aliquamdiu sustentavit. Inquisitum mox in reum, et in suspicionem tracti aliqui innocentes, carceribus inclusi et misere excruciatii sunt. Quod cum audiret Sozon, propter suum factum scilicet torqueri innoxios, intrepide magistratum adit, seque eum esse, qui statuæ manum subripisset, utpote muto et stulto idolo, eamque in pauperes erogasset, indicavit, rogans ut, ipso prehensio, innocentes dimitterentur. Placuit id factum Deo ita, ut Sozonti non solum robur ad ferendos pro Christo cruciatus impertiret: sed etiam carnifices, qui enectum flammis absumere volebant, terribili tempestate fugaret, et cælesti splendore noctis tenebras discuteret, quoad corpus ejus a Christianis honorifice sepeliretur, Metaph. apud Sur. 7. sept.

Denique, cum Deo aut sanctis gloria dauda est, eorumque honor defendendus. Fuit matrona quædam, ut refert Cæsarius, libro VIII. mirac. cap. LXI. quæ e duodecim apostolis singularem unum patronum sortito volens eligere, juxta antiquam consuetudinem, extraxit per candelam beatum Judam apostolum. Indignata vero nomini huic candelam una cum nomine retro cistam jactavit. In nocte apparuit ei S. Judas, querens se ab ea contemptum, et retro cistam indigne projectum, nec sic acquievit, donec verbis addita sunt plagæ. Integro igitur anno lecto paralytica decubuit.

VI. Quando a Deo punimur ob peccata nostra. Tunc enim decet causam flagellorum nobis ipsis adscribere et Dei justitiam laudare, quæ nemini injuriam facit. Plurimum ad cobibendam Dei manum ultricem hoc juvat, si nos reos fateamur, tametsi forte ex aliena culpa. Tobias in captivitatem ductus cum aliis, et percussus cæcitate, confitetur culpam suam et suorum: *Quoniam non obedivimus præceptis tuis, ideo traditi sumus in direptionem, etc.* Denique, justitiam prædicat: et tunc mittitur angelus Raphael, qui eum consoletur et curet, Tob. III. Daniel item in captivitate positus, sibi suisque culpam adscribit: *Peccavimus, iniquitatem fecimus, impie egimus, et recessi-*

et declinavimus a mandatis tuis, etc. et adhuc loquente, mittitur angelus Gabriel, qui consoletur eam de liberatione populi, Dan. IX. Ubi enim advertit Deus, quod incipiamus per agnitionem et confessionem scelerum nostrorum confundere et flagellare quasi nosmetipsos (quod unicum optat), tunc desinit ipse nos flagellare. S. Lupus Trecassinæ urbis episcopus, Attila civitatem obsidente, ad eum progressus, interrogavit quis esset qui sic suos armis lacesseret. Ubi ille respondit: *Flagellum se Dei esse*, ingemiscens intulit: *Et ego lupus, vastator gregis Dei, dignus flagello ejus*. Et protinus portas reserari jussit. Ingressus Attila recte, urbem pertransiit, nihil hostiliter agens, ne respiciens quidem ad quemquam oppidanorum, quasi neminem vidisset. Hanc tantam tutelam civitatis gratiam Deus contulit Lupo, ut qui se dignum flagello confessus fuerat, a flagello liberesset, Marulus, lib. V. cap. II. Multo vero magis reos nos fateri debemus, cum reos esse sciamus. Ducebatur Olysiptone inquit Bened. Fernandez, in cap. XXXVIII Genes. ubi hæc scribo, ob homicidium reus ad supplicium, ingenti (ut fit) apparitorum turba constipatum; copiosa vulgi multitudo reum sequebatur. Ergo ventum est ad plateam, ubi parricida s. martyris Sebastiani visitur: jacebat vultu prostrata ad parietem templi marmorea columnæ; hic reus subsistit, sedetque paulisper, ut vires reliquo itineri resumat. Substitit quoque universa illa pompa. Ille igitur oculis locum designans, vocem in hunc modum contendit: O viri qui adestis, audite, obsecro, Deum supremum omnium judicem, cujus tribunali mox sistendus ductor ad patibulum, obtestor ego infelix, immemorem me prorsusque innocentem esse ab hoc homicidio, cujus reus in judicio convictus, suspendio mortem paulo post subiturus sum. (At o Deus mundi rector! quem nihil latet eorum, quæ vel in tenebris vel in latebris agimus) hoc eodem lapide sedentem hominem, quem ne noveram quidem, noctu præteriens, adacto in pectus gladio, demens ac furens occidi. Solum tunc habui testem mei facinoris Deum, nunc vero judicem. Ille penas exigit de homicida: ille me suspendio adficiat, ut injustam immerentis necem, cujus ille conscius fuit, justa ego et promerita luam morte. *Discite hinc mortales, Dei, cujus oculis nuda sunt omnia, cujus justitiam nullus peccator effugit, revereri conspectum, reformidare judicium. Ita se res habuit, eamque ab ipso ex nostris, qui misero adhærebat ad latus, confessario, accepi.* Hæc Fernandez.

Itaque simus Judæ, et confiteamur hic delicta nostra, ne ibi coram toto mundo confiteri sine tactu cogamur.

CONCIO II.

JUDÆ PRODITORI QUI NON ABSIMILES.

I. Qui de alieno sensim aliquid sublegunt. — II. Qui ornatum invident. — III. Qui Christi graturo aut voluptate perdunt. — IV. Quos dicunt, odium in corde gerunt. Venia peccatorum desperant.

THEMA.

Odio habuerunt me gratis. Joan. XV.

Sapientissimus Aragoniæ rex Alphonsus, cum Syracusanum equitem truculentis moribus hominem, appellasset *barbarum*, atque ille, quod præclara patria, Græca origine esset, nomen *barbari* abhorrens, iniquo animo ferre injuriam videretur: *Ego*, inquit rex, *non a patria soleo, sed a moribus barbaros definire*, Panorm. l. I. de gest. Alph. Non dubito, auditores, si quem vestrum appellarem *Judam*, quin id ægre valde acciperet. Adeo enim exosum factum est illud nomen, ut nemo reperiat, qui sic appelletur aut appellari velit. Et tamen minime desunt qui Judæ mores habent, vel certe non absimiles. Judæ nomen honestum est, magno illi patriarchæ et S. Judæ Thaddæo, cujus hodie festum agimus, commune. Gratis igitur et sine causa nomen istud Judæ odio habemus. ut merito S. Judas queri de hoc posset cum Christo in hodierno evangelio: *Odio habuerunt me gratis*. Quid igitur est illud, quod horrent Christiani, dum vitant nomen Judæ? Utique nihil aliud, nisi improbos mores alterius Judæ, qui Christi fuit proditor, ne cum ipso habeant quidquam commune, non tantum in moribus, sed etiam in nomine. Bene est, et laudo hoc. Verum quia hominem, non est patria vel baptismo, sed ex moribus potius definire et appellare solemus, videat unusquisque ne cum pessimo illo Juda in moribus conveniat. Quinam vero sint qui ejus mores imitantur, hic ostendemus.

I. Qui de alienis bonis clam suffurantur, et si non adeo multum ac simul, aliquid tamen sensim ad se trahunt. Mos hic proditoris Judæ fuit, ut testatur S. Joannes, cap. XII. *Fur erat, et loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat*, quasi diceret: Ex loculis Christi et collegii ejus, quos administrabat, subinde aliquid suffurabatur. Non ergo grandia, sed parva solum erant furta illa: ex parvis tamen paulatim audacior factus, ipsum Dominum suum furari quodammodo et vendere ausus est. Unde S. Chrysostomus, hom. LXXXII. in Matth. ait, Satanam sensim, non simul ac semel intrasse in Judam: scilicet tentando et alli-

ciendo eum per furta: et homilia LVII. *Sic in Juda maximum proditoris malum exortum est. Nisi enim putasset parum esse pecuniam inopum surripere, in tantam proterviam non devenisset*. Parva igitur furta aditum faciunt ad magna: sicut parvus furunculus irrepens in domum per foramen, fenestram aut ostium, aperit magno furi: sic ibis sensim devorans aliquid de veneno, tandem gignit basiliscum, apud Pier. lib. XVII. hierogl. Etenim licet minuta furta singula sint tantum peccata venialia; ex communi tamen theologorum sententia, quando eam quantitatem materiæ efficiunt, quæ simul ablata sufficiunt ad peccatum lethale; tunc ultimum furtum, quod illam quantitatem complet, faciunt mortale. Itaque cum existimat homo talis, se ob rei parvitatem venialiter solum delinquere, delinquit mortaliter sicque ingreditur in eum Satanæ, non secus atque in Judam. Refert Sanctus Gregorius, libro III. dialog. cap. XIV. S. Isaaco monacho missas fuisse sportas duas alimentis plenas; quarum unam bajulus sibi reservans, clam abscondit, alteram sancto attulit. Is vero divinitus edoctus de pueri furto, monet ne attingat sportam clam depositam; siquidem in eam serpens ingressus esset. Deprehensus miser et confusus abiit, atque invenit serpentem in sporta. Ecce quomodo in furta insinuat se diabolus, qui, ut videtur, in hoc serpente latuit. Sic intrat in cor furis; et quo fructu? Sane Judam plus cruciavit inique accepta pecunia pro vendito magistro, quam laqueus et patibulum. Etenim; *Cum non posset ferre iudicii conscientiam dolorem, adaptato sibi laqueo, vitam finivit*, ait Chrysostomus, in Psal. VII. additque ejusmodi peccata lacerare conscientiam, quemadmodum fetus viperini uterum matris discerpunt. Denique Judas holum illum iniquum concoquere non potuit, sed cum ingenti nausea evomere coactus fuit; unde non modo non remissionem consecutus est, sed potius maledictionem: *Quid ad nos? Tu videris*. Cui simile est, quod Sanctus Ethelwoldus episcopus Wintoniensis, quemdam monachum, furti reum, nec volentem restituere, notans in capitulo dixit: *Noluit sacrilegus pecuniam reddere cum benedictione; reddat ergo eam cum maledictione, et sit ligatus corpore et anima*. Fuit ergo ille brachiis intra cucullum ita colligatus, ut dissolvere ea non posset, donec furtum confiteretur, in vita I. aug. Viderint qui alienis bonis gaudent, ne eadem aliquando evomere cum maledictione cogantur.

II. Qui templorum ornatui invident, et cum possunt, obstant. Id enim et Judas fecit, quando Magdalena pretiosum unguentum super Christi caput effudit, Matth. XXVI. et Joan. XII. Dicebat

enim sub prætextu charitatis erga pauperes: *Quare hoc unguentum non venit trecentis denariis et datum est egenis? Dixit autem hoc*, ait Joannes, *non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat*. Hunc ergo imitantur, qui ea, quæ ad templi ornatum impenduntur et donantur, ægre aspiciunt, sub prætextu quidem charitatis aut simili; revera tamen, quia cum Juda optarent ea cadere in crumenam suam. Scarabæus, qui fimo innascitur et innutritur, necnon et vultur, si rosaceo unguento perungantur, illico elanguent et emoriuntur, ut scribit Clemens Alexandr. l. II. pedag. c. VIII. Unguenti illius, quod Magdalena effudit super Christum, odore domus repleta fuit, necnon recreata: solus Judas offensus, adeo ut tunc abiret (ut narrat Sanctus Matthæus) ad principes sacerdotum, proditorum Christum. Ergo qui velut scarabæi avaritiæ fimo innutritur, et bonis alienis, adeoque sanguini pauperum velut vultures insidiantur, hi soli sunt, qui templis Christi ornatum suum invident. Non tulit Christus in vicario suo pontifice, ut de altari Sancti Petri lampadem auferret: quomodo id feret in aliis? Rem narrat Beatus Petrus Damiani, libro I. epist. ad Cadolaum antipapam, epistol. XX. « Quid, ait, mihi a senioribus intimatum est, refero. In Babylonici partibus possessionem apostolica sedes habebat, unde tantum balsami redditum per annos singulos capiebat, quod indeficienti fomite sufficeret lampadi, quæ videlicet ante altare beati apostolorum principis rutilabat appensa. Quam possessionem, accepta pecunia, papa distraxit, canonemque aromatis, quem recipere solebat, amisit. Aliquanto post, cum prædicto sacrosancto altari idem papa assistere et oraret, ecce quidam terribilis et grandævus senex, in cujus etiam facie barbirasium videbatur, elato brachio, colaphum sibi vehementer incussit, et ait: Tu extinxisti lucernam meam ante me, et ego extinguam lucernam tuam ante Deum; moxque disparuit: ille vero protinus corruit, et paulo post diem clausit. Sic nimirum meretur corripui, qui illi se præbet adversum, qui celi terræque primus pastor obtinet principatum. »

Verum dicet aliquis: Nonne Judas templo donavit triginta argenteos? Ita est, non abnuo. Sed quid ait Ecclesiasticus, capite XXXIV. *Qui offert sacrificium substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui*. Deinde, quid juvat nummos projicere in templum, si quis interim animam suam projiciat in infernum? Vide, inquit Drogo Ostiensis, libro I. de passione Domini, *quam magni ponderabat argenteos; non projecit eos in sterquilinio, sed in templo: et paulo post: Ecce infelix qualiter excæcatus est! Maluit*

seipsum perdere, quam denarios perdere: denarios templo, seipsum laqueo addixit. Parum ergo aut nihil templo dat, qui seipsum Deo subtrahit, licet cætera donet.

III. Qui Christi gratiam pro exiguo luero aut brevi voluptate alioue terreno bono perdunt, adeoque vendunt; quomodo Judas triginta argenteis vendidit magistrum et Salvatorem suum. Fuit sane ingens hæc, non modo insipientia, sed etiam ingratitude erga tam beneficium Dominum. Et quis satis exaggerabit insaniam et ingratitude peccatorum, qui Dei gratiam, donum omnium excellentissimum, immeritis collatum, adeo vilipendunt, ut pro vilissimis rebus commutare audeant? Verum dicent se nequaquam vendere Dei gratiam, sed oppignorare tantum, quasi post breve tempus eam redempturi per pœnitentiam, quam brevi se acturos asserunt; similes pictori illi bibulo, apud Æn. Sylv. in comment. Panormit. qui imagines Christi a se pietas cauponibus oppignorabat, pro debitis contractis, asserens non decere, ut more Judæ Christum vendat. Verum isti misere sibi imponunt, nec cogitant se Dei iram magis in se provocare, dum ejus misericordiam abutuntur. Quemadmodum enim Judas, cum ad extremum videns agi de morte Christi, voluit quidem eum redimere rescindendo contractum, et restituendo argentum; minime tamen auditus est, sive a Judæis, sive a Deo; quia scilicet prius sepe monentem magistrum suum minime audit: ita metuendum illis, qui Dei gratiam tam temere prostituunt, ne cum aliquando redire ad pœnitentiam velint, minime possint. De pœnitentia Judæ dicitur Psal. CVIII. *Oratio ejus fiat in peccatum, quia: Ubi pœnitentiæ festinavit ad portum, ibi incidit in æternum et sine reparatione naufragium*, ait S. Chrysostomus, serm. IV. de pass. tomo III. Caruit enim spe et sincera pœnitentia, quibus Dei donis ipse obicem posuerat, et indignum se reddiderat.

IV. Qui ore quidem amicitiam præ se ferunt, in corde vero odium et inimicitiam gerunt; id quod egit Judas, quando ficto amicitiam osculo Christum in mortem tradidit. Capras, scribit Plinius, libro VIII. cap. L.V. arro, libro I. de re rust. c. II. Athen. libro XIII. capite XIX. lambendo, sterilem facere vitem et oleam aliaque novella germina. Quod lingua capræ viti est, hoc fuit lingua Judæ, hirci foetidissimi, Christo, qui dixit: *Ego sum vitis*. Salutando et osculando eum velut amicum, quasi lambendo vitam ei eripuit. In Hispaniola arbor est, quam Xaquam incolæ vocant, quæ aquam distillat instar lactis candidissimam; qua tamen quidquid aspergitur vel oblitur, nigrescit; ita ut nulla elui lotione possit, Ovet. his-

tor. libro VIII. et in summ. capite LXXVII. Tympum hic habemus fictorum amicorum, qui dant verba candida, sub quibus tamen nigrum infamiae et mortis infundunt, juxta id Proverbiorum XVI. *Vir iniquus lactat amicum suum, et ducit eum per viam non bonam*. Hedera suis ramis quasi brachiis arborem amplexatur, velut amicum sibi; interim exsugit et tandem strangulat. Hujusmodi etiam amplexu perfidus ille Judas magistrum suum vita spoliavit. Quare S. Chrysostomus, homil. I. de passione ait, Judam merito gutture strangulatum interiisse, ut fictæ linguæ et mendacis gutturis pœnas daret: *Guttur profanum, inquit, quod hodie Christo extendis ad osculum, crastino illud extensurus ad laqueum*. Fictas blanditias Diogenes appellavit *laqueum melleum*. Hunc tetendit Judas Christo: jure igitur incidit in laqueum, non melleum, sed felleum. Viderint ergo qui ipsum imitari non verentur, ne idem experiantur; quod sane minatur Psal. IX. *In laqueo isto, quem absconderunt, comprehensus est pes eorum*.

V. Qui de venia peccatorum desperantes, ad salutaria remedia non recurrunt. Quo extremo errore perdidit se Judas, et deliquit gravius desperando, quam Christum prodendo. Si enim ad Christum, quamvis jam damnatum recurrisset et veniam petiisset, utique mox invenisset, non minus quam Petrus. Sed quia auxilium e cælo non petiit, in terra vero a principibus sacerdotum non obtinuit; hinc suspensus inter cælum et terram, velut illo indignus, hac exclusus mansit. Gravi injuria et ludibrio Christum affecerunt, qui pro sceptro regio cavam ei arundinem in manus dederunt; quasi ejus potentia et regnum inane foret. At nihil aliud agunt, qui de ejus misericordia desperant; putant enim eam inanem esse, nec magis ei innitendum quam baculo arundineo. Grandis hæc ignominia Christo illata, punita et compensata est in Juda alia simili, ut nimirum: *Suspensus creparet medius, et effunderentur omnia viscera ejus*, Actor. I. Unde factum esse dicunt auctores Græci ex Papia, apud Baron. anno 34. ut locus etiam, in quo sepultus est, præfatore non solum inhabitabilis, sed etiam inaccessible redderetur; quasi in cautelam et monumentum posterorum, ne quis hoc exemplum desperationis imitari præsumeret. « In Manaria insula mulieres gentium levissima de causa (scribit p. Sacchinus, in Lainio, libro VII. numero CXVII. in desperationem actæ, vitam e potu veneno finiebant. Huic malo remedium repertum est tandem, fortassis ex antiquitatis memoria repetitum, eaque solertia, per quam et Romanæ plebis a Prisco Tarquinio et a Milesiis, virginum sua-

rum consiliis furor sanatus fertur. Inducto enim præfatore, ut quæ ita morerentur, earum cadavera concidi juberet in frustra; ille ignominia et supplicii metus, qui manebat mortuas, ab immani scelere vivas absterruit. » Pari ratione, ut in posterum omnes abhorrent a tam fædo desperationis scelere, divina dispensatione factum credimus, ut suspensus ille proditor medius creparet, et ad perpetuum loci factorem sua viscera effunderet. Ita enim: *Notum factum est omnibus, ait Sanctus Lucas, Actorum I. habitantibus in Jerusalem; ita ut appellaretur ager ille (emptus triginta argenteis, a Juda projectis) Hæceldama, hoc est, ager sanguinis*. Bene actum ut ex illo Judæ peculio emeretur ager, commutandus in cæmeterium seu sepulturam peregrinorum. Quia enim Judas ex apostolo factus est diabolus, ex fecundo agro sterilis; ideo ex peculio ejus fertilis ager coemptus, versus est in sterilem, vivens quadammodo in emortuum. Quia etiam Judas omnem Christi, cælestis sui agricolæ, culturam respuit, tandem ab eo, velut ager sterilis desertus est, ita ut cælestis ille medicus ipsi non obviaret, nec obtutum gratiæ impenderet, sicut obviavit et impendit Petro. Ager bene subactus et pluviis irrigatus, si loco frugum bonarum spinas ferat et tribulos, deseritur a colono, et bestiis conculcandus relinquitur; prout de vinea synagogæ sterili dicitur Isa. V. *Diruam maceriam ejus, et erit in conculcationem*. Sic Judas tam sedulo a Christo excultus, tot monitionum fassionibus, lavacro pedum irrigatus, pane cælesti saginatus, ubi post tot labores nonnisi spinas protulit, tandem desertus et in conculcationem datus est. Unde aliqui ex cit. Papia scribunt eum de arbore decidisse, et curru obtritum fuisse, quod facile credo factum esse tandem, postquam laqueus ruptus est. Quidquid vero sit, conculcatur ille saltem omnium pedibus, dum totius mundi horror, ludibrium et catharma factus est.

Quando igitur vidimus detestanda illius Judæ scelera, superest, ut ejus non tam nomen quam flagitia toto pectore vitemus. Præclarum nomen est Judæ; quia confessorem vel laudatorem significat, et talis fuit sanctus alter Judas, cujus hodie festum agimus; qui non solum prædicatione, scripto, vitæque suæ sanctitate, sed et morte pretiosa per martyrium Christum laudavit, et confessus est. Hunc imitetur, ejusque nomen, quantum in perfido illo Juda execramur, tantum in fidei isto veneremur. Certe hic in amoribus Sancto Bernardo fuit; adeo ut ejus reliquias, quas ultimo vitæ suæ anno Jerosolymis acceperat, summa in veneratione habuerit, et moriturus jusserit eas secum sepeliri suoque pectori impo-

ni, ut habet auctor vitæ ejus, l. V. c. II. Sit ergo nobis quoque in amore sanctus iste Judas, sit in corde, sit in ore; ut hic quidem una cum ipso simus Dei confessores, ibi vero laudatores per omnem æternitatem.

CONCIO III.

QUARE, QUOMODO ET QUANDO ZELOTE.

I. Quare. — II. Quomodo. — III. Quando.

THEMA.

Hæc omnia facient vobis propter nomen meum.
Joan. XV.

Duos hodie zelotes, si D. Hieronymus, in c. IV. ad Gal. et alibi, credimus, una solemnitate celebramus: Simonem, qui cognominatus est zelotes, quia a Cana (quæ zelum significat) oriundus; et Judam Jacobi minoris fratrem; qui et ipse ab Hieronymo *Cananæus* appellatur, sive quia etiam ex Cana prodiit, sive quia excellentem pro Christo zelum habuit, uti ex ejus epistola canonica elucet, in qua zelo quasi igneo insectatur hæreticos. Non immerito igitur applicare illis possumus, quod Apocal. XI. legimus de Henoch et Elia scriptum: *Hi sunt duæ olivæ et duo candelabra, in conspectu Domini terræ stantes*. Duæ quidem olivæ; quia pinguedine evangelii et gratiæ Dei magnam orbis partem, hic Mesopotamiam, ille Ægyptum condierunt: duo candelabra; quia luce prædicationis et zelo animarum ardentissimo mundum illuminarunt, Deique amore accenderunt. Ac quemadmodum bina candelabra solent poni super altare ad peragendum divinum sacrificium; ita duo hi zelo ardentes apostoli in Perside demum convenientes quasi ad altare Christi, glorioso martyrio simul ejus nomen illustrarunt. Nos igitur horum exemplo stimulati, videamus, qua ratione et ipsi quoque zelotæ fieri possimus.

I. Quare. Primo, quia sine zelo et fervore non superabimus facile difficultates et obstacula salutis nostræ. Beatitudo et salus nostra rursus et in cælo est; conatu igitur opus, et violenti rapiunt regnum cælorum. Hostes etiam et impedimenta multa sunt: mundus maxime et caro nostra, deorsum rapiens nos ad voluptates et otium. Contra fluvium natamus; luctandum ergo contra aquas, continuo nos devolventes: ubi luctari cessaverimus, ibi decidemus. Unde venerabilis Beda in Luc. capite III. ait: *Nisi mentis contentio fervat, unda mundi non vincitur, per quam anima*

semper ad ima revocatur. Confirmat id Ecclesiasticus, capite ultimo dicens: *Zelatus sum bonum* (veram scilicet sapientiam, quæ in summi boni consecutione consistit) *et non confundar*, hoc est, non excidam spe mea. Sed qua ratione id tibi promittis? *Colluctata est anima mea in illa*, hoc est, pro illa consequenda. Luctandum igitur contra aquam ei, qui conniti ad salutem vult. Sicut enim Jacob, non nisi fortiter luctando et pertinaciter retinendo angelum, benedictionem ab eo obtinuit, Genesis XXXII: sic mysticus luctator et supplantator (hoc sonat *Jacob*) vitiorum, luctari cum sapientia et salute sua debet, si Dei benedictionem consequi desiderat. Ferveat igitur in oratione omnibusque piis operibus, et cum luctatur contra vitia, ne ab iis superetur.

Secundo, quia sine illo dæmon non infestabit, nec difficile superabit. Zelus et æmulatio igni comparatur ab apostolo ad Hebr. X. § XXVII. quia ardere facit. Jam vero: *Sicut ad succensam ollam* (inquit abbas Pimenius, in vitis pp. apud Rosweid. lib. VII. cap. XXXIX.) *muscæ non appropinquant; si vero tepida fuerit, insidunt in eam et faciunt vermes: ita et succensum igne divini spiritus dæmones fugiunt, tepidum vero illudunt et insequantur.* Et cur præcepit olim Deus Levitici VI. *Ignis in altari meo semper ardebit*, nisi ut admonerentur fideles fervoris in operibus bonis nunquam remittendi? Ad hunc ignem non accedent facile dæmones aut otiosæ cogitationes, si continuo foveatur, teste Sancto Chrysostomo, homilia LII. in Acta: « Qui igne Christi captus fuerit, inquit, talis fit, qualis esset homo solus habitans super terram: adeo nihil curæ est ei gloria et ignominia; tentationes autem sic contemnit, et flagella et carceres, quasi in alieno corpore pateretur, vel quemadmodum si adamantinum possideret corpus. Et sicut muscæ in medium flammæ non incidunt, sed fugiunt; ita et affectiones illæ accedere non audent. » Jussit eodem capite Deus, exusto holocausto, veteres cineres deponi et ignem innovari; quia, ut ibidem Origenes addit: *Oportet etiam nos dicere: Ecce vetera transierunt, et facta sunt omnia nova.*

Tertio, quia una cum tepiditate nostra subtrahit sensim Deus gratiam suam, et: *Quia tepidus es, incipiam te evomere*, scribit Joannes episcopo Laodiceno, Apocal. III. Cum enim duplex sit Dei gratia, alia abundans et efficax; si nos cum Deo tam remisse agamus, remissam etiam gratiam nobis dabit, quæ tepide nos movebit, adeoque non pervincet. Sensit hoc quidam eremita, de quo recensuit S. Joannes abbas, in vitis pp. lib. VIII. cap. XLVI. ad tantam sanctitatem eum ascendisse, ut angelus ei quotidie panem

candidissimum ad mensam apponeret. Verum ubi is aliquando a fervore suo cæpit intepescere in oratione primum, reperit panem illum solito nigriorem: cumque, invalescente in eo fæda cogitatione, tepidius resisteret; altero die reperit panem prorsus rancidum ac marcidum, multoque magis tertio die, plane a muribus corrosum; denique victus, ad sæculum redire constituit, unde tamen a fratre in via retractus est. Bene igitur monet apostolus scribens ad Hebr. II. *Propterea abundantius oportet nos observare ea, quæ audivimus, ne forte pereffluamus.* sicut vinum scilicet e dolio male et negligenter compacto, resolutis circulis.

Quarto, quia sine zelo et fervore facile in peccata labimur. Quam ob causam, quæso, hoc autumnii tempore defluunt passim folia arboribus? Quia, deficiente arboris humore, arescunt. Eadem ratione, dum torpemus spiritus fervore, destituimur humore gratiæ divinæ, excidimusque a Deo et labimur in peccata. Hinc Judæi, cum synagoga sua sensim in vigore et observantia legis torpescerent, dicunt, Isa. LXIV. *Cecidimus sicut folium universi* (Septuaginta habent *defluximus*, humoris scilicet defectu) *et iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos*; quod explicans S. Gregorius, in cap. XIII. Job, ait: *Quia nullo fixos pondere in vanam elationem levavit.* Atque hæc est causa cur Eva lapsa sit, quia scilicet torpide respondit serpenti: *De fructu ligni, quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus ne comedamus, ne forte moriamur*, Genes. III. Diffidenter ac dubitanter de divino loquitur decreto et cum serpente fabulatur, quem fugere quamprimum atque execrari debuisset; inde in laqueum incidit, et sicut folium defluxit, quia caruit humore et fervore spiritus.

II. Quomodo? Primo, cum moderamine, ne perdamus animas, dum salvare volumus. Erraverunt circa hoc duo illi Boanerges, quando Luc. IX. postularunt a Christo, ut ignem de cælo evocare possent ad perdendos Samaritanos. Zelum pro honore magistri sui, quem excluserant Samaritani illi, habuerunt, sed immoderatum: non enim debet zelus perdere animas (quos istis contigisset) sed salvare, uti illis dixit Dominus. Simili zelo laborabat S. Carpus, apud S. Dionysium, ep. VIII. ad Demophilum, ut alibi retuli: et Acacius episcopus in Conc. Nicæno, qui cum durior se præberet in recipiendis ad pœnitentiam iis, qui a fide aberraverant, audiit a Constantino M. imperatore: *O Acaci, scalam a terra in cælum constitue; solusque per illam in cælum ascende*, ut refert historia eccl. p. II. c. IV. Excesserunt, et quidem gravius, Simeon et Levi, quando stuprum

sororis suæ contra datam fidem gladio ulti sunt, Gen. XXXIV. erraverunt servi illi parabolici, Matth. XIII. qui zizania ante tempus, quæ in triticum verti poterant, eradicare voluerunt.

Secundo, cum constantia et perseverantia, donec evincamus, quantum in nobis est, adhibendo omnia remedia. Docuit hoc Christus, quando videns Scribas offensos, quod languidum ad piscinam sanasset in sabbato, Joan. V. et rursus quod discipuli ejus in alio sabbato fricarent spicas, Luc. VI. et hunc errorem eorum confutaret, rursus in altero sabbato (ut habet Lucas XVI. § VI.) sanavit illum, qui habebat manum aridam. Tam enim veritatem amavit libereque prædicavit ad errantes corrigendos, ut non cessaret eam ipsis instillare, licet sciret sibi propterea mortem imminere. Hinc nihil non remedi adhibuit, uti concio, es, miracula, orationes, reprehensiones, redargutiones, ac denique lacrymas.

Tertio, cum debito fine ad Dei gloriam, non ad nomen proprium. Qua in re erravit nonnihil Jonas, qui videns Deum parcere Ninivitis, et pœnam interminatam ob eorum pœnitentiam remittere, afflicto est vehementer, adeo ut mortem sibi precaretur: *Quia melior est mihi mors, quam vita*, inquit Jon. III. Optarat enim ut Ninivite punirentur juxta prædicationem suam, ne vanus ac mendax propheta inveniretur; cum potius Deum laudare et gaudere debet, ob pœnitentiam et salutem Ninivitarum, Deique majorem honorem, qui inde oriebatur. Melius egit Michæas propheta, cum certum exitium prædicans impiis, indoluit, eorumque vitam suo honori præposuit dicens: *Utinam non essem vir habens spiritum (propheticum) et mendacium potius loquerer!* Mich. II. § XI. Optabat hoc ex amore erga cives suos, ne perderentur ab Assyriis; tametsi cum dispendio honoris sui vanus tunc propheta habendus esset. Debet enim zelus ad honorem Dei tendere, etiam cum jactura proprii; quomodo Moyses deleri de libro vitæ, et Paulus fieri anathema cupiebat pro suorum salute et Dei honore.

Quarto, non tamen cum propriæ salutis neglectu. Non enim jubemur diligere proximum plusquam nos ipsos, sed sicut nos ipsos: *Et nos de plenitudine (non de inanitate) Dei omnes accepimus*, Joan. I. « Disce igitur et tu (ait D. Bernardus) non nisi de pleno effundere, nec Deo largior esse velis. Concha imitetur fontem: non manat ille in rivum, nec in lacum extenditur, donec suis satiatur aquis. Non pudeat concham non esse suo fonte profusorem, » serm. XVIII. in Cant. Hinc prudentes illæ virgines pro oleo rogatæ: *Ne forte*

non sufficiat nobis et vobis, aiunt, *ite potius ad vendentes et emite vobis*, Matth. XXV. Ita prudens Jacob, priusquam fratri suo obviam iret, mansit solus (utique in oratione) et luctabatur cum angelo, Genes. XXXII. sic Christus, antequam descenderet ad discipulos in mari fluctuantes, pernoctavit solus orans in monte, Matth. XIV. Idem suadet S. Bernardus Eugenio Pp. lib. I. de cons. illis verbis: « Omnes de fonte bibunt, pectore tuo: et tu seorsum sitiens stabis? Qui sibi nequam, cui bonus? Memento proinde, non dico semper, non dico sæpe, sed interdum reddere teipsum tibi. » E contra e fatuis virginibus ostendit se fuisse sponsa, cum ait, Cant. I. *Posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodivi*, quasi diceret: *Alienas animas curavi, meam neglexi.* Quod miratur in eum locum Sanctus Bernardus, serm. XXX. « Miror audaciam plurimum, inquit, quos videmus de suis vineis nonnisi colligere spinas et tribulos, vineis tamen Dominicis etiam se ingerere non vereri. » Hujusmodi custos fuit Saul, de quo ad Samuelem Dominus: *Unges eum ducem super populum meum*, I. Reg. IX. Et quidem Saul id conatus est, multa periculosa prælia pro suis suscipiendo; interim tamen neglexit propriam salutem, et seipsum perdidit.

III. Quando? Primo, quando agitur de Dei gloria. Cujus rei insigne specimen dedit Christus, quando non semel, sed bis, ementes et vendentes expulit e templo, tametsi sciret se propterea Judæorum odium et vitæ discrimen incursum, juxta illam prophetiam, Psal. LXVIII. *Zelus domus tuæ comedit me*, hoc est, consumpsit vel absorbit me. Querit ibi Augustinus: « Quis comeditur zelo domus Dei? Qui omnia, quæ forte ibi videt perversa, satagit emendare; non quiescit, si emendare non potest, tolerat, gemit et apud se dicit: *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.* » Ps. CXVIII. Eternam hac in re meruit laudem Asa rex Juda, dum ipsius Dei honorem et amorem parentum amori anteposuit, et: *Maacham matrem ex Augusto deposuit imperio, eo quod fecisset in luco simulacrum Priapi: quod omne contrivit, et in frusta comminuens, combussit in torrente Cedron*, II. Paral. XV. Ubi Theodoretus de ipso: *Adeo ardentem divinas leges est amplexus, ut etiam matrem suam, quæ maluit colore Astarten, regno privaverit.* Non minorem laudem e suo zelo reportavit Amphilochius Iconii episcopus, quando, ad Christi divinitatem et cultum defendendum, imperatorem Theodosium gravi stimulo impellere solus e numero episcoporum nihil trepidavit. Cum enim a Theodosio petisset, ut Arianos ex urbibus eiceret, et imperator id fieri absque periculo non posse di-